

...es Alexander
Capitaneus Sczerzovensis.

Nieszporkowicz Ambrosii: Gryphus domus Otwi-
noviae —

GRYPHUS DOMUS OTWINOVIÆ

HONORI FUNERALI

PERILLUSTRIS, MAGNIFICI, ac GENEROSI DOMINI

D. IOANNIS ALEXANDRI

DE OTWINOW

OTWINOWSKI

CAPITANEI SCZERCZOVIENSIS,

Dum eius corporis exuviæ

Solenni conductu Nobilissimorum Hospitum

In Sacello Mariano

BASILICÆ CLARI MONTIS CZESTOCHOVIENSIS
Fratrum Ordinis Sancti P AULI Primi Eremitæ,
Supremo obsequio conderentur,
Inter mortuales illustres umbras

XII. SYMBOLIS

ADUMBRATUS, & ILLUSTRATUS,

Per

Fr: AMBROSIUM NIESZPORKOWITZ Ordinis Sancti PAULI
Primi Eremitæ Profess.

Anno Domini MDCXCIII. 23. Novembris.

Typis Clari Montis Częstochoviensis.

IN STEMMA DOMUS OTWINOVIÆ

Facies Leonis & facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor. *Ezech: 1. v. 01.*



GRYPHUS Ego de stirpe Aquilæ, do stirpe Leonum,
Quod natura dedit, Regium utrinque Genus:
Alis Pegaseos solitus superare volatus,
Suetus & aucupij retia nulla pati,
Terrea contemno, cœlorum summa petendo,
Ignea quò Virtus promovet, atque Genus.
Hic cognata Aquilæ fulgent, cognata Leonis
Stemmata, præcipitem huc penna, pedesq; ferunt.
Fulmina ferre Iovi doctus, mensæque Ministrum,
Hac feror ad Superos, quâ via nota patet.
Vester Ego sum, Vester ero; qui subjugus Ales,
Scandite OTWINOVII, Vos super astra feram.

v. 01.

MAGNIFICIS ac GENEROSIS DOMINI

GASPARO

ET

GREGORIO

DE OTWINOW

OTWINOVIIS

PERILLUSTRIS ac MAGNFIICI DOMINI

IOANNIS ALEXANDRI

DE OTWINOW

OTWINOWSKI

CAPITANEI SCZERCZOVIENSIS.

GERMANIS FRATRIBUS

Dominis, Patronis, ac Benefactoribus Colendissimis

FRatrem *Vobis fero* Magnifici, ac Generosi Domini, *quem vivum diutissimè exoptastis, etiam ità in pagina victurum, Vobisq; charissimum, non dubitate. Ex mortis quidem causa munus ingratum, ex argumento tamen gratissimum, quod Vobis Fratrem non totum obijsse declarat, qui in amantissimis Filijs & prolibus, & in Vestris amoribus, vivus perennat. Optarat ille Vestrorum solatiorum incrementis ex seipso partem addere superstes, nisi ità decretis irrevocabilibus* DEI *parendum esset, in quorum causa, secunda tristibus, tristia secundis temperat, quæ minùs Vestros animos, & cor afficerent, si domi non nascerentur: magis enim afficiunt emergentia subitò mala demestica, quàm externa, quorum leniendis, medicandisq; vulneribus, nullum efficacius, aut opportunius adferri potest, & prodesse remedium, ex Christianæ religionis dictamine, quàm ad beneplacitum* DEI *affixa intentio, quæ & meriti causam offert, & omnem cordis perturbati æstum ad tranquillitatem componit. Quod cavebat semper, ne Fraternum affectum*

)t(lædèret,

læderet, hoc unum præcavere non potuit, ne corda ammantium vulneraret. Parcite amantes: mortis hic ictus est, non Fratris, quæ cùm in Fratrem exercet tyrannidem, Fratres quoque in doloris, mœrorisq; societatem cogit. Cor amantium læsit, non extinxit amorem, quem acriùs desiderium absentis intendit; vehementiora enim sunt amantinm desideria, cùm quod amant, amiserint, nullo humanæ industriæ consilio, aut auxilio, modoq; revocandum. Exinde temperate dolorem, ne Vobis non bene ordinatum Fraternum amorem quis imputet, quòd ei meliorem sortem invidentes immortalitatis beatæ, in hac ærumna temporalis vitæ, caducæque mortalitatis eum superstitem diutiùs desiderastis. Consolatoriam Vobis Magnifici Domini *scribo, non Panegyrim, ne ubi luctuosa sunt, aut veriùs videntur omnua, sordidæ notam assentationis incurram, quòd non serviens rerum statui, temporique, ibi Vestrum plausum quæram, ubi hic actus cogit ad dolorem, & lenimen læsi cordis deposcit. Permagnus Vobis apud* DEUM *erit proventus meritorum, & humanæ laudis accessio, & commendatio amoris, si memores Vestri sanguinis, charitatis non denegabitis officium, nunc Fratris Vestri Benefactores, Fautores, & Patroni futuri, qui amantissimi Fratres extitistis. Ità res humanæ volvuntur, & revolvuntur: in occasum tendunt omnia, & intereunt, deseruntque hominem, cùm ea deserere cogitur; sola comitantur merita, utpote bonæ vitæ testimonium, quibus Magnifico Fratri Vestro, si deesse adhuc quidquam potest, sicut liberales in affectu, ità ad suffragia non parciores in censu, extra merendi statum posito, sublevabitis necessitatem. Pro affectu meo, quem* Magnifico Fratri Vestro *illibatum & post fata servo, id insinuo; pro ampliori Vestro merito, quod exopto. Quanquam & ego, magnam doloris Vobiscum acerbitatem sentiam, æquiùs tamen tantam jacturam solatij perfero, quòd in Vobis imaginem eius habeam, cui quidquid gratitudinis, obsequij, & officij pro meritis debueram, Vobis, Vestræq; perinclyta Familiæ, dum vivo, impendere libens contendam.*

Magnificarum ac Generosarum
Dominationum Vestrarum.



Exorator & minimus Clientem,

Fr: AMBROSIUS NIESZPORKOWITZ.



SYMBOLVM I.

INCLYTISSIMÆ OTWINOWIÆ DOMUS

GLORIÆ

GRYPHUS *dextro pede tenet vexillum, in quo sui formam, seu imaginem habet expressam; sinistro innititur basi Obelisci vertice nubibus imminentis*, GRYPHORUM *figuris undequaque compacti. &c. Hic* Perillustris ac Magnificus Dominus IOANNES ALEXANDER de Otwinow OTWINOWSKI, Capitaneus Sczerczoviensis, GRYPHORUM *Familiæ claritudinem, participiat, & complet. Lemma*

Hæc nostræ gloria Gentis!

OBELISCVS.

MOles quam cernis Viator,
Gloriæ monumentum est,
Quod architecta Virtus excidit,
Et cùm in terris posuisset fundamina,
Apicem invexit cœlis,
A quo æternitatis corona
Consummata ornarentur merita.
Hic diadematis splendor, & pretium,
Quo
Virtutis est stipendium, & prœmium,
Illustrissimæ GRYPHORUM Familiæ
Maiestas, & perennitas
Inter coronas exorta, ad coronas assurgit.
Iam ergo,
Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Quæ in vetustatis ruderibus ubi collapsas pristinæ gloriæ gemunt celsitudines;
Ad huius æmulationem gloriæ pertingere non præsumant.
Quot GRYPHORUM sculpuntur imagines,
Tot immotalis gloriæ notantur successores,
Quam ab Ægyptijs inchoatam, & hucusque continuatam
Non degeneres Virtutum heredes conservant,

Et meritis coronant.
Ex Ægypto per Serbiæ, vel Daciæ Superioris regiones
invecta Stemmata,
Quæ Iaxa Popieli Germanus ex Principe Poloniæ Lescione III.
Ducali dignitate ornavit,
Illustravit Virtus Successorum,
Ne quid minus Tharso Ciliciæ in Asia minori
Et Tyrane Tyri & Thraciæ, Principibus, haberent,
Qui suæ gloriæ, & principatûs tesseram,
GRYPHUM assumpserunt.
Non postremæ censentur laudis Maiorum gloriam illibatam conservasse
At supremæ commendationis est acceptam propriis Virtutibus exornasse.
Minor est illa, quæ mensuratur tempore,
Et vel mendacis famæ præconio, blanditur auribus,
Vel speciosa ostentatione oculis obijcitur
Illa vera censetur Gloria
Quæ cùm è recte factorum conscientia suam ducit originem,
Mundi oculum ferre contemnens,
Laudem suam ad æternitatem exonerat.
Vera Gloriæ Christianæ semina Virtutes,
Quem reddiderint illustrem,
Veræ gloriæ probant possessorem.
Hæc DEO saluti, æternitati,
Cetera vanitati famæ

Perillustris ac Magnificus Dominus:
D. IOANNES ALEXANDER de Otwinow
OTWINOWSKI,
CAPITANEUS SCZERCZOVIENSIS
Ad Illustrem natalium splendorem, & Sangvinem,
Quem à Magnificis, ac Generosis Progenitoribus,
GREGORIO de Otwinow OTWINOWSKI,
Et CATHARINA SKORUSZEWSKA,
MARTINI SKORUSZEWSKI Iudicis Castri Cracoviensis
Filia accepit,
Ut illustriorem nexu cognationum, in posteritatem transmitterer,
Illustrissima & amplissima decora,
Quæ in Gentili Acervo Dignitatum infulis refertissimo continentur,
Ad Domûs suæ ornamenta traxit,
Dum
Illustri ac Magnifici Domini,
D. STEPHANI SIEMIENSKI
(Cuius prudentiæ, & Sapientiæ, vix par dignitas, si æstimantur in Sago & Toga merita, invenitur)
IUDI-

IUDICIS SIRADIENSIS FILIAM,
ELISABETHAM SIEMIENSKA.
E. M. D. SOPHIA MACZYNSKA.
Muliere Prudentissima, æquè ac Sanctissima,
Magnifici Domini
IOANNIS in Maczniki MACZENSKI,
Succamerarij Velunensis Filia,
Genitam,
Omnium mulierum prudentiæ ectypon,
& probitatis exemplar,
In fœdera Matrimonialia assumpsit,
Quæ una gloriæ temporalis Maiestatem,
Sanctitatis exemplis exornavit,
Utpote
Uxor Bona Viri Corona,
E in prolium educatione
Felicior Matrum Niobe,
Ad Ecclesiæ Patriæque honorem, & decorem,
Florere fecit.

SYMBOLUM II.

RELIGIONI.

IN *Ara super lignorum pretiosorum struem* GRYPHUS, *Phœnicis instar, in holocaustoma consecratus;* Magnifici Domini IOANNIS ALEXANDRI de Otwinow OTWINOWSKI, *Capitanei Sczerczoviensis, erga* DEUM, *& Cœlites Religionem adumbrat.* *Lemma:*
Cœlo devotus ad Aram.

ARA.

ADeste novi Flamines,
Sacrorum Administri;
Non taurorum, aut arietum hecatombes daturi flammis lustralibus,
Sed pietatis in DEUM, *& Cœlites oblaturi holocaustoma.*
Prævenit officium Sacerdotum, & Ministrorum obsequium,
Illustrissimæ Otwinoviæ Domûs
Præses, & Alumna,
Virtutum omnium Antistita
RELIGIO.
Gentilitium suæ Familiæ Decus GRYPHUM,
Veluti omnium altilium, & animantium compendium
Millenas excedens Hecatombes,

DEO, Superis, Eccleſiæ, Patriæ, Familiæ,
In devotam Aris ſuperimponit hoſtiam,
In Perilluſtri ac Magnifico Domino,

D. IOANNE ALEXANDRO de Otwinow OTWINOWSKI Sczerczovienſi Capitaneo,

In quo
Avitæ Maiorum pietatis inſignia non poſſunt non patere
Ubi Religioſorum linguis prædicantur.
In tantum illorum ſinceram, devotamq; DEO converſationem adamans
Ut ſæpius propalam teſtari ſolitus fuerit,
Malle ſe plurimorum ſecularum vitare, & deflectere contubernia,
Unius Religioſi, & Spiritualis colloquio,
Scilicet, ut ſacræ eruditionis avidus,
Cúm profanam, quâ cultiſſimus erat, lectione frequentiori comparatam, non damnaret,
Ornaret genium, & ingenium perpoliret
Hinc Religioſos & Spirituales perſonas, non tam hoſpites, quâm domeſticos habere voluit.
Sacræ Theologicæ ac Philoſophicæ ſcientiæ avidus, & capax,
Etiam inter dapes ſanctioris diſciplinæ ſe
Diſcipulum & Magiſtrum oſtendit,
Soltus ea in publicum proferre, quæ & limatiora Theologorum, & Philoſophorum exercerent & fatigarent
ingenia, & Religioſæ converſationis
exemplum, præberent.
Vitio nonnunquam dabant aliqui,
Quòd non ad mundi genium modeſta converſatio,
mundanæ criſis mererérur cenſuram,
Quam poſthabens maluit humanæ æſtimationis diſpendia.
Et non ſpiritualia pati detrimenta.
Hæc pertinebant ad animæ culturam,
Quam DEO Diviſque ſemper devotam ut probaret.
Frequentiores peregrinationes
Ad Divæ Matris Arenenſis, in ſuburbanis Cracoviæ Studzianenſis,
(Ut pedeſtres viſitationes ad Claromontanam noſtrum Virginem prætercam)
teſtantur
In ſinum tantæ Matris vota ſua deponens
Amores eius, & patrocinia demereri ſtuduit,
Dum in Parochiali Czeſtochovienſi Eccleſia
Pro quovis die Sabbathi eidem Virgini ſacro,
Miſſæ Sacrificium, & Lauretanas Litanias
Liberali cenſu in perpetuum fundavit,
Quem etiam auſteribus jeiunijs honorare ſolitus,
Exemplo familiam ad imitationem, & cultum MARIÆ
Suavi violentia coëgit.
Innutritæ à tenero devotioni,
Addidit incitamenta ad virtutem omnem,
Inclytiſſima Coniux, & Religioſiſſima,

M. D.

M. D. ELIZABETHA SIEMIENSKA
Grande, & rarum admodum Christianæ Religionis exemplar
Quæ in Magnifici Capitanei Domum invecta,
Amplissimum Virtutum omnium Gynecæum secum induxit.
Facta Marito, Liberis, Familiæ, Subditis,

RELIGIONIS MAGISTRA.

Itaque,
Ubi pulchra, sanctaque contentione utrinque
ad æmulationem provocantur,
Facta est Aula OTWINOWIA Sanctitatis Domicilium,
Et erga DEUM, & Cœlites Religionis Templum;
In quo
Prostant & Vestra Religionis ad ornamentum insignia

MAGNIFICI DOMINI

GASPAR, & GREGORI

Quam domi privatam, cùm humanum oculum fugere voluistis,
Ad exemplum publicum emersit,
Dum Vos ad visitanda frequentiùs loca miraculis illustria,
Tum Divinæ Matris, tum Divorum, coëgit veneratio;
Ubi vota nuncupata, appensa Anathemata,
Illum in vobis vivere cultum Religionis testantur,
Quem à Maioribus traducem transmittentes in posteros,
Iustum sanctumque est perennare.
Incidat iam statutæ Vestræ Religionis
ARÆ Religio:

EX HAC ARA, IN QUA OTWINOVIÆ
DOMUS IUGIS DEVOTIONIS FLAMMA PERENNAT,
TOTI ILLUSTRI FAMILIÆ,
VITA, PAX, SALUS, FELICITAS.
FIAT!

SYMBOLVM III.

INCLYTISSIMÆ OTWINOVIÆ DOMUS
FORTITUDINI.

GRYPHUS *subactum, ocbisumq; premens draconem: OTWINOVIÆ Domûs & M. D. Capitanei præfert Fortitudinem.*

Lemma:

Forti de robore victor!

T R O P H Æ U M,

In G R Y P H O

Et Aquilæ, & Leonis indoles,
Fortitudinem demonſtrat.
Naturalis illi in draconem hoſtilitas,
Qui ne peſtiferum virus diffundat,
Et lue venefica homines, feras, & terras attaminet,
Solers providet,
Dum draconibus inſidiari ſolitus,
Eos uſque ad victoriam perſequitur.
Genuium hoc eſt Virtutis Chriſtianæ ſchema,
Quæ monſtra vitiorum edomans, & extirpans,
Pulchrum ſuæ gloriæ trophæum erigit.
Et G R Y P H O R U M Familiæ
Bellicam fortitudinem adumbrat,
Quâ, contra hoſtes Fidei, Eccleſiæ, Patriæ, labores,
Aggrediuntur, & conſummant,
Et fabula Hydræ interfectæ Herculeæ fortitudinis labore,
In Vobis Orbi exhibet veritatis hiſtoriam
In eundem quoque cenſum venit,
M. D. I O A N N E S A L E X A N D E R de Otwinow
OTWINOWSKI Capitaneus Sczerczovienſis
Qui
Sub illo magno Hectore Poloniæ
S T E P H A N O C Z A R N E C K I,
Cum M. D. GREGORIO de Otwinow OTWINOWSKI
Militiæ ſacramentum dixit;
Et in rudimeritis, ac tyrocinio bellico,
Ad CZUDNOVIENSES Cannas
Veteranorum imitationi exempla fortitudinis reliquit,
Anteit bellica Romanorum Signa
AQUILAS & LEONES,
Domûs OTVINOVIÆ
G R Y P H U S,
In Magnifico, ac Generoſo
GASPARO de Otwinow OTWINOWSKI
Contra minaciſſima Ottomtnicæ Lunæ cornua
In Chotimenſibus Campis
Pugnator & Victor

Qui

Qui
Sumptibus non parcens & laboribus,
Severus emptor Gloriæ,
Optime de Ecclesia meritus, & Patria
Heroâ fortitudine Domûm suam,
Coronavit.
Ad hæc Decora,
Contulit & suæ Illustrissimæ Domûs
Fortitudinis insignia,
Per Matrimonialia fœdera,
Magnifica ELISABETHA SIEMIENSKA
In Avis suis,
Illustrissimo D. IOANNE SIEMIENSKI
Ensifero Siradiensi,
&
Illustrissimo IOANNE in Maczniki MACZYNSKI Succamerario Vielunensi,
Qui in Berestecensi prælio cadens,
Morte fortiter excepta, immortalem famam meruit;
Tum in Illustrissimo Genitore suo
STEPHANO SIEMIENSKI
Iudice Sieradiensi
Qui pro Religione, & Patria fortia agens,
Emeritam gloriam in seram postreritatem
transfudit:
Eo maximè tempore,
Quo assurgens Kosakorum rebellio
Negotium Reipublicæ acriter armis
decernendi facessivit.
Testatuntur Warecenses campi
Qua fortitudine pro Ecclesia &
Patria, pro Libertatibus & Iustitia
Vsque ad laudis invidiam decertavit
Stipant Trophæa Patrum
Et Magnifici, ac Generosi Avunculi
MARTINUS MACZYNSKI
Vexillifer Warsaviensis.
Et
STANISLAUS MACZYNSKI
Capitaneus Klonoviensis
In quorum Nepotibus vivet maiorum gloria,
Et sumet cum ætate, incrementa Virtutum.
Et quia non tantùm in militiæ sæcularis cingulo bella geruntur, & victoriæ Viris parantur,
In Virtutis arena & generosæ exercent
Fortitudinem suam mulieres,

Quas inter
Magnifica Domina
ELISABETH OTWINOWSKA
Sczerczoviensis Capitanea
Illa
FORTIS MULIER,
Quam aliquando Solymæus quæsivit Sapiens,
Recensetur,
Quæ
Palæstram Virtutis omnis in Aula aperiens,
Se Fortem ostendit,
Magnificam Coniugem, Liberos, familiam, subditos
Ad Virtutis imitationem provocando.
Una, si quæ alia, digna
In qua confidere potuit cor Viri sui,
Et cum qua potuit stipendia
Sanctitatis mereri.

SYMBOLVM IV.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ

IUSTITIÆ

GRYPHUS *dextro pede libram cum æquali lance, sinistro gladium tenens &c.* OTWINOWIÆ *Domûs reddendis cuique quod suum est, Virtutē ostēdit. Hic Magnifici Domini IOANNIS ALEXANDRI de Otwinow OTWINOWSKI demonstrat Iustitiam, quâ, quæ sunt* DEI DEO; *quæ proximi, proximo impendit.*

Lemma:

Sic iusta rependo!

ELOGIVM.

NOn tota terras Astræa reliquit:
Libram in Gentilitio OTWINOVIÆ Domûs appendit stemmate,
Ut videas,
Nullam iniuriæ subesse posse censuram,
Ubi totum in æquo, subsistit
Ad Legis divinæ, humanæque amussim.
Sic nec alienorum avida, nec suorum prodiga,
Ex iusto tamen liberalis,
Quæ
DEO Religioni, Patriæ, Familiæ, Amicis Subditis
Debentur, tribuit.

Itâ

Ità ſemper
DEO cultum, Superis honorem, amorem Patriæ,
Familiæ obſervantiam, Amicis obſequium,
Subditis gratiam teſtatur,
Quibus cœli, terræque favores mereatur.
Magnificus ac Generoſus Dominus
D. IOANNES ALEXANDER de Otwinow
OTWINOWSKI.
Capitaneus Sczerczovienſis.
Rei exhibet Imaginem,
Qui
Libens reddidit, quod debuit,
DEO debitum cultum in Templis
A teneris annis innutritum affectum & devotionem
Tutelari ſuæ Patronæ
MATRI DEI, & VIRGINI MARIÆ:
Divis iuſtum honorem,
Eccleſiæ illibatam Fidem, & obedientiam,
Sacerdotibus, & Religioſis Ordinum, venerationem,
Cognatis affectum,
Chariſſimæ Coniugi amorem,
Educationem dilectiſſimis pignoribus
& benedictionem:
Humanitatem Hoſpitibus,
Debilibus auxilium,
Subſidium egeſtate preſſis,
Afflictis commiſerationem,
Amicis obſervantiam
Dilectionem ſubſiditis
Omnibus reverentiam,
Et ne in ſeipſum videretur iniurius,
Sibi bonæ vitæ conſcientiam ſervavit.
Quæ Fortunæ fuerunt, tanquam aliena reputans, ſucceſſoribus reliquit;
Animam cœlo, corpus ſacrophago.
Quæ in Chariſſima Conſorte
M. D. ELISABETHA OTWINOWSKA
Muliere Pientiſſima
ad venerationem accepit Virtutum exempla,
Imitari non abnuens,
Quantum in ætate, tantum in Virtute pto fecit
Nactus ex Illuſtriſſima Domo illius Exemplar
Quod illuſtriſſimi Parentis

STEPHANI SIEMIENSKI
IUDICIS SIRADENSIS,
refert imaginem
In hoc uno omnis Iuſtitia tenet apicem.
Quæ
Tum in Generalibus Regni, tum particularibus
Terrarum, ac Palatinatuum Comitijs,
Tum in Tribunalibus, ad quæ Deputatus
Iudex liberis, & communibus votis
expoſcebatur, enituit.
Dignus quem uti Iuſtitiæ Exemplar, & Speculum
ſibi proponant univerſi,
Ne exprobrator debitorum, & rigidus exactor
conſcientia repetat
REDDE QUOD DEBES:
DEO, ECCLESIÆ, PATRIÆ, FAMILIÆ,
Tibi, Proximo.
Huius Exemplo, ceu Norma uſus,
M. D. IOANNE ALEXANDER OTWINOWSKI didicit Iuſtus eſſe:
Et ſimul docet,
Neminem iuſtiorem eſſe, quàm qui ſeipſum
totum, quod eſt, quod poteſt,
DEO à quo eſt,
integrum reſtituit.

SYMBOLVM V.

INCLYTISSIMÆ OTWINOVIÆ DOMUS

LIBERTATI.

GRYPHUS *aurea corona caput redimitus, in collo appenſum aureum monile ſeu torquem gerens cum aureo numiſmate, in quo hæc exarata leguntur:* INSIGNE LIBERTATIS. *&c. Magnifici Domini IOANNIS ALEXANDRI de Otwinow OTWINOWSKI Libertatem notat &c.*

Lemma:

Pati retinacula neſcit.

VINCULUM.

NOn refuge GRYPHE nobiliſſime vincula:
Libertatis Tuæ ſunt inſignia,
Non captivitatis inſtrumenta.

Quam

Quam tibi Aquilina, & Leonina indoles principatûs & Libertatis
prærogativam concessit,
Nec ars, nec Mars, nec mors adimet.
Patere injici collo torquem nobilitatis insigne,
Torquatus Libertatis.
Nec sub cœlo, nec in terra, Venator tibi nectit pedicas,
Quem propriæ naturæ conditio, ab opprobrio servitutis absolvit,
Sola te recti honestique lex vinculis adstringit,
Quæ auream tuam non arctant, Libertatem,
Sed exornant.
Hæc est Vestræ Gloriæ tessera
Illustrissimi GRYPHORUM Familiæ Successores,
Qui, utpote Gentis Liberæ Filij,
Libertates Ecclesiæ, Patriæ, Vestrasque
Fortunis, Vitâ, & sanguine pretiosiores,
Defenditis; promovetis, propugnatis.
Hic Honoris tanti partem sortiuntur

OTWINOVII;

Patriam Libertatem sicut tueri semper soliti,
Ità conservare soliciti,
Cuius exemplum est,

Magnificus ac Generosus Dominus
IOANNES ALEXANDER de Otwinow OTWINOWSKI.
Innatus illi, & pertinax amor Libertatis & studium,
Quem extra æquitatis orbitam nec respectus humanus deflexit,
Nec fauor popularis infirmavit.
Potiorem animi quàm corporis, æstimans libertatem
Blandis vanitatis renuit captivari vinculis,
Quibus plerumque & Heroum implicantur mentes:
Doctus in amore veritatis & Virtutis,
Animi libertatem constare,

Nam

Qui ab alienis dependet favoribus: & respectibus,
Nunquam suus, alteri mancipatum profitetur,
atque ex nexibus delicatioribus,
Ad turpiora quæstuosæ servitutis se transfert vincula.
Hinc innata didicit ingenuitas
Expediri vitiorum vinculis,
Et intra leges recti honostique subsistens
Respectibus, moribus, & amoribus captivantium non obsequi,
Cùm illa vera ingenuaque,
Laudanda, non pudenda sit servitutis professio,
DEO, Iustitiæ, Patriæ,
Liberum servire.

SYMBOLVM VI.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ

LIBERALITATI,

GRYPHUS *in vertice montis aurei positus, ramenta auri, balucasque ad montis clivum subsistentibus, avidisque prædæ pretiosioris, pedibus dispergit &c. Magnifici Domini IOANNIS de Otwinow OTWINOWSKI Liberalitatem insinuat.*

Lemma:

Non minuit, cùm dissipat aurum!

MONUMENTUM.

GRYPHE Illustrissime,
Quomodo genium, & ingenium mutasti,
Cùm Illustrissimarum Familiarum
Domesticus esse cœpisti.
Antehac sterilis auri possessor,
Nunc Liberalis largitor;
Didicisti hanc Virtutem ab illustrissimarum
Familiarum Successoribus,
Ubi illorum honorem, & gloriam & Arma Gentilitia occupasti.
Macte Decus perinclytum Heroum;
Fertilior est quibuscunque novalibus manus egenorum;
In quibus dum seminantur divitiarum pretia,
In æternam laudis, honoris, gloriæ, & meritorum plus centuplo
surgunt adoream.
Ex Tua GRYPHORUM Illustrissima Familia,
Tot prostant, & perennant Liberalitatis Monumenta.
In Fundationibus dotationibus reparationibus
Ecclesiarum, Altarium, Orphanotrophiorum,
Monasteriorum
Miechoviensis, Andreoviensis, Staniatecensis:
In quibus
Vivit cum quotidianis Honoris, & gloriæ DEI incrementis
Perenne Liberalitatis Monumentum.
Hic partem habet gloriæ & Liberalitas OTWINOVIA
In Magnifico ac Generoso Domino
IOANNE ALEXANDRO OTWINOWSKI.
Magna illa, quæ ad humanitatis, & hospilitatis debitum,
Maxima quæ ad cultûs & honoris DEI cessit obsequium.
In paupere Christum pauperem sibi repræsentans,
Apud tenaces sterilem mamonam,
Ut faceret sibi fructuariam,
In manibus reposuit egenorum;

Hoc to-

Hoc totum ſibi profuturum arbitratus,
Quidquid in pauperem impendiſſet,
Per leviora detrimenta fortunæ,
Grandia ſalutis adiumenta, & emolumenta ſibi confidens provenire:
Tantò meritis ditior, & Virtutibus,
Quantò in pauperes liberalior.
Senſerunt eam in flammis purgantibus ſuffragiorum exortes animæ,
Pro quarum luſtratione numeravit ſtipondia,
Quæ licet extra merendi ſtatum poſitæ,
Meritis tamen ditiorem fecerunt,
Liberalem ad redemptionem ſui largitorem.
Quam vivis, amicis, & familiaribus teſtabatur gratiam,
Servavit & mortuis,
Dum pro animabus illorum per varias Eccleſias, &
Ordines ſuffragia daturus, frequentiores
Eleemoſynas erogabat.
Fidelis certe amicus, qui æternitatis viam ingreſſos,
Non deſeruit, & comitari uſque ad cœleſtem patriam, cum ſuffragi-
orum proventu, non negavit.
Innatum hunc benefaciendi affectum,
A Magnificis accepit progenitoribus,
Quam teſtati ſunt, dum præter alia Eccleſijs præſtita Liberali-
tatis monumenta,
Templa, & Aras ornarunt muneribus,
Quorum liberalitati ſuam debet Maieſtatem,
Fundatum in Parochiali Czeſtochovienſi Eccleſia
ſub titulo S. GREGORIJ Sacellum;
Sicut Templis, & Aris, ità Altarium Miniſtris
devotiſſimus,
Quos ſi aliquando tecta eius ſubire contigiſſet,
Veluti Patriarcha Abraham, Angelos ad ſe veniſſe dicens,
Humanitatis obſequijs, & officijs dignabatur
Æternæ benedictionis ſortem promeritus;
Sicut in imagine Patris, expreſſiſtis in Vobis
Paternæ Liberalitatis exemplum, Filij,
Oblatis gratuitò ſumptibus non parcentes,
Quibus Templorum, & Miniſtrorum Altaris neceſſitatibus providetis.
Teſtantur hoc, nunc ad priſtinam maieſtatem ex favilla reſur-
gentia poſt incendium Eccleſiæ Claromontanæ tecta,
Ad quorum reparationem concurrentes, & liberalitate certantes,
Non ut Hyram Salomoni ex pretio,
Ad reſuſcitationem ex favilla gratuitò
ſubſidium impendiſtis.
Ampliare voluit in OTWINOVIA Domo Liberalitatis meritum
Magnifica Domina ELISABETH OTWINOWSKA,
Dum exemplo miſericordiæ in pauperes,
Ad æmulationem Liberalitatis, Magnificum
Coniungem provocavit.

Solita dicere:
Illos malè ſuis rebus, & fortunis conſulere,
Qui quod erogandum eſſet in pauperes, & templa,
In otioſa canilia impendunt,
Quo docuit
Eum qui vel ſemel in DEUM, Eccleſias, pauperes liberalis fuerit,
ſemper habere DEUM debitorem.

SYMBOLUM VII.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ

PRUDENTIÆ.

GRYPHUS *uno pede tubum Opticum oculo admotum tenens, & quæ à longinquo imminent, prævidens; altero peltam, ſeu Clypeum ferens &c. M. D. Capitanei providentiam docet &c.*

Lemma:
Regit Prudentia caſus!

SPECULA.

AUreorum Habitator Montium
GRYPHUS,
Aquilina ſagacitate, generoſitate leonina
inſtructus à natura,
Serpentina quoque donatus prudentia?
Humilibus delitere in convalibûs dedignatur
Præruptorum ſumma tenet montium,
E quibus veluti e ſpecula circumſpectans omnia
Intentus ad eventus omnes,
Imminentibus periculis propulſandis Clypeum,
Prævidendis occaſionibus tenet Proſpectivam.
Scilicet
Nemo tam fortis, ſibique ſufficiens eſt, qui alieno ad caſus
non egeat præſidio,
Tam ſagax nemo, ut futuros omnes eventus cognoſcendos
& gubernandos attingat.
Utroque felix
Qui ad caſus propulſandos munimem tenet,
Et e longinquo prænoſcendos intentionem exporrigit,
Ne ex inopinato irruentes perturbent,
Vel non prævìſi damnoſa præſumptione decipiant.
Felicior es Illuſtriſſime GRYPHE
Qui naturalis perſpicacitatis dote non contentus,
Illa ad ſpeculationem admoves adiumenta,
Quæ ad æternitatis contemplationem ſerviunt.
Hic eſt oculus Prudentiæ,

Qui

Qui omnia temporalia prætervolans,
Sempiterna docet irretorta mentis acie contemplari.
Non cœcutiebat in Magnifico ac Generoso Domino
D. IOANNE ALEXANDRO OTWINOWSKI.
Qui adhuc Viator
Rerum temporalium declinans periodos,
Et lubrica prætervolans retinacula,
Ad Terminum, ultimumque Finem DEUM,
Actiones, & cogitationes dirigebat,
E sanctionis Prudentiæ dictamine.
Hic in ænigmate speculator factus cœlestis gloriæ,
Terrena minùs æstimare didicit.
Mentis oculo frequentius DEUM contemplari solitus,
Quæ DEI non sunt incipiens fastidire,
Compendiosam ad DEUM viam quæsivit per MARIAM,
Prudens Stadiodromus;
Quam vel e longinquo ut sæpius liceret intueri, viciniorem
Aulæ suæ collem
Mane quandoque, & vespere.
Aut matutinum, aut vespertinum Christianæ devotionis pensum
redditurus, ascendebat,
Ut ex adverso eminentia Virginis Claromontanæ tecta spectaret,
Unum præ cæteris in suis necessitatibus Asylum,
Quod ex voto pedestri itinere suscepto
Solebat frequenter visitare.
Quàm profunde in corde, quàm suaviter menti habuit impressam
Qui neque inter venationes, dum mentem distrahit,
MARIÆ memoriam exuens,
Ad altiores colles deflectebat,
Unde Montis Clari eminentior Basilica dabatur aspectabilis;
Quo vota, preces, & suspiria præmittebat.
Speculator Marianus, & Amator
Ut MARIAM, quam in corde, & ore præferebat,
circumferet sæpius & oculis,
Tabulata in horti medio summitatibus arborum eminentia erexit,
Hoc potissimum fine, ut eò negotiorum expediendorum,
Aut devotionis causâ secedens,
Veluti e quadam specula,
Hospitem in Montis Clari Sacello MARIAM
Spectaret, & salutaret,
Quam sibi semper esse concupivit proximam,
Expertus & propitiam.
Hic illius erat CLYPEUS in Imagine hac MARIA,
Ad omnem fortunæ ictum retundendum opportunus,
Quocirca eius ectypon collo appensum ferens in pectore,
Tam potens, & validum in ea invenit
Munimentum, & Ornamentum,
In quo & Mariani amoris ferebat monimentum.

Hoc eſt Chriſtianæ Prudentiæ shema,
Cuius
Sicut Magnifico Capitaneo Coniugi chariſſimo,
Ita omnibus alijs
Dat ſpecimen, exhibet & Exemplar
Mulier Prudentiſſima,
Magnifica Domina ELISABETHA OTWINOWSKA
Ad præceptum Apoſtoli domeſticos docens Pruden-
tiam, ex illius dictamine
Domum gubernans
Et in Timore, & Amore DEI filiorum, ac filiarum
Iuventutem inſtituens.
Tum ſuis, tum Magnifici Capitanei exemplis docens,
Eam tantùm apud DEUM Prudentiam valere
Quæ viam Sanctitatis demonſtrat.

SYMBOLVM VIII.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ

HUMANITATI.

GRYPHUS *uno pede præfert buccellam panis, altero lancem cum ſale offert. &c. Magnifici Domini IOANNIS ALEXANDRI de Otwinow OTWINOWSKI teſtatur Humanitatem.*

Lemma:
Sincerus aperte!

SYMBOLA.

GENEROSISSIME GRYPHE,
Nemo te iam credet andropophagum,
Qui ad humanitatis teſtimonium,
Tuam quoque confers Symbolam.
Et in hac forma te exhibes humaniſſimum,
Regij Alitis, & Animalis naturam ſervans,
Quorum uterque, hic animalibus, ille volucribus debilioribus & inermibus, quidquid de neceſſitate ſuperat,
Regia humanitate partitur.
Panem, & Sal, humanitatis, & affectûs teſſeram præfers,
Ne in te rapacium animalium, aut velucrum cadat probrum,
Quòd ungues non tam ad defenſionem, quâm ad rapinam exacuant,
Tuis nihil adhæſerit, niſi quod alienis commodis impendendum.
Antehac his pedibus, & unguibus balucas, & ramenta auri, quod avarorum eſt, verſare ſolitus,

Nunc

Nunc Horrorem ſolitudinis inhoſpitæ exuiſti,
Hoſpitalitatis honorem in Aulis Illuſtriſſimarum Familiarum habiturus,
Quarum exempla te docuerunt manſueſcere,
Et ad officium humanitatis componi,
Quâ cicurari Leones, & Aquilas tam notum, quàm certum eſt.
Aquilam læſam, & implumem educat Virgo,
Quæ ſanitatem, & volandi facultatem adepta,
Memor gratitudinis Nutrici prædâ, educationis beneficium oblatâ, compenſabat;
Leonem alia Virgo regia convictorem nacta,
Iubas, eius & villos pectine componens,
Ornamenta è gemmis, & monilibus ferre docuit:
Gratiam, quam accepit à Nutrice,
Capitis, vultus, & manuum linctu compenſans.
De Leonis & Aquilæ natura participans

G R Y P H E,

Exuis feritatem feras deſerens,
Humanitatem induis, humanam ſocietatem aſſecutus
In Magnifico ac Generoſo Domino

IOANNE ALEXANDRO OTWINOWSKI.

Familiaribus, & Amicis; Suditis, & egenis
Ad eam Humanitatis commendationem pertigit,
Quam communem habet,
Cum Magnifico, ac Generoſo Fratre ex Patruo

D. ADAMO de Otwinow OTWINOWSKI
PINCERNA WISCENSI;

Cuius loquuntur humanitatem, & benevolentiam,
Virtutibus Heroicis,
Magnanimitatis, & Religionis, Generoſitatis, & Liberalitatis,
Non ſupparem,
Templa, & Aræ, Monaſteria, & Orphanotrophia,
Quibus Chriſtianam charitatem ſemper teſtatus
Oſtendit ſe Humaniſſimi OTWINOVIORUM GRYPHI
Naturæ imitatorem,
& Honoris conſortem.
Æquo Vobiſcum paſſu ad tantæ Virtutis meritum contendunt,
Magnificus, ac Generoſus Dominus

GASPAR, & GREGORIUS, OTWINOWII,
GERMANI FRATRES,

Qui ad Aquilinæ, & Leoninæ humanitatis exemplum,
Fortunæ prædam partientes,
Et tenuiorum neceſſitati, & egeſtati providentes,
Se exhibent Humaniſſimos.
In affabilitate, & moribus comptiſſimis;
In verborum gratia, in officiorum promptitudine,

 In bene-

In benefaciendi faciliate & hoſpitalitatis liberalitate,
Elucet innata Generoſitas
In vultus hilaritate, in ſuavitate converſationis,
In fronte ad ſerenitatem explicata
Veluti in mentis proditoribus,
Benevolentia enitet, & Humanitas;
Quæ non minùs dulci quàm forti violentia
Ad Veſtri obſervantiam cogit, & amorem.
Acceſſit per fœdera Matrimonialia
Ad Domûs OTWINOVIÆ GRYPHUM,
M. D. ELISABETHA OTWINOWSKA
Quæ,
Ut Eccleſiaſticus ait,
Sicut Sol oriens mundo in altiſsimis DEI, ſic mulieris bonæ ſpecies, in ornamentum Domûs eius,
Cum Magnifico Coniuge Humanitatis certans officijs,
Per æmulationem præſtitit humaniſſimum.
Gentilitium illa GRYPHUM, Lucis, & Ardoris amatorem
ſplendore ſuæ Virtutis, & ornatiſſimorum morum amore,
In ſui deſiderium provocavit,
Ut illa eſſet Aulæ OTWINOVIÆ Sol,
in ornamentum Familiæ;
Ut luceret exemplis, ad imitationem provocans,
Arderet amoribus, ad DEI proximique dilectionem inflammans,
Poſtquam hæc Gentilitij Leonis & Aquilæ Domum ſubijt
Ardentiores radios virtutum cæpit ſpargere,
Et vetuſtatem plumarum excutiens,
Ad Aquilinam iuventutem renovari.
Vivis, deponens, ſi quid vel minimum feritatis fuit,
Humaniſſime GRYPHE!
Qui Aulam OTWINOVIAM Solis huius ſplendoribus feciſti luceſcere,
Quos nec atra mortis nox,
Dum in ſeris nepotibus Familiæ perennebit ſucceſſio,
Ne Virtutum incrementis augeſcat,
Extinguet.

SYMBOLVM IX.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ

FIDEITATI.

GRYPHUS *ad intima cordis ſcrutanda, diaphanam in pectore feneſtram, per quam intrò latens ſplendor evibrat radios, dextro pede annulum, ſiniſtro ſpeculum præferens. &c. M. D. Capitanei Sczerczovienſis IOANNIS ALEXANDRI OTWINOWSKI Fidelitatem notam facit.* *Lemma:*

Fidem intima produnt!

MOMUS

M O M U S

Tua hic res agitur nequam fili Noctis,
Deorum, & hominum, Censor, & Osor,

M O M E.

Quis hominum tua immunis erit à censura,
Quando & in Dijs quæris, & mentiris, quod impingas,
In architectura hominis requiri fenestram culpas,
Per quam ad intima mentis, & cordis scrutanda pervadas,
Errorem Deo Architecto imponis.
Quid tibi cum fenestris tenebrio, osor luminis,
In tenebris versari semper solitus, amator tenebrarum,
In die quæris noctem;
Et cœcus, solem cœcutire existimans,
Eius splendorem æquo oculo ferre cùm nequeas,
In deliquia desinentem exoptas.
Hanc cœcitatis plagam tua tibi, dedit indoles,
Quæ in sole maculas palpare nata, & quærere,
Omnem claritudinem abhorret,
Nec amat nisi extinctam,
In Illustrissima G R Y P H O R U M Domo,
Tenebras ne quære, vel maculas:
Ex qua in Ecclesiam, Patriam, Familiam, perpetuus splendor promicat
Virtutum radij, & claritas meritorum, &
Fidelitatis
Erga Deum, Ecclesiam, & Patriam sinceritas,
Te percellit, ne sana acie videas decora,
Quæ odisti.

Gentilitium tibi O T W I N O V I A Domus obijcit

G R Y P H U M,

Fidelitatis servatæ Deo Ecclesiæ, Patriæ,
Coniugi, Amicis, Subditis servatæ,

In Magnifico ac Generoso Domino

I O A N N E A L E X A N D R O O T W I N O W S K I

Tesseram:
Lux promicans e pectore illam notat conscientiæ,
ex intentionis sinceritatem,
Quæ in omnibus actionibus,
Clara semper, chara omnibus,
D E O, Superis, proximo,

Elucebat.

Fidem semel Baptismi Sacramento pactam retinens,
Hæreticorum semper conversationem refugiens,
Et eorum dogmata, dum ferret occasio,

Impugnans, & feliciter confutans,
Se Fidei, & Ecclesiæ Catholicæ Filium probavit.
Iudæorum maxime execratus, & abominatus versutiam,
Nec illos in ditione sua subsistere passus,
Fidelis Religionis Catholicæ Zelator,
Turpi tantæ fæcis commerceo,
Sinceritatem suæ religionis non corrupit.
Exemplo docens,
Neminem posse ad amicitiam, & familiaritatem Dei sinceram aspirare,
Qui amicus, & familiaris DEI hostibus extiterit.
Quam DEO fidem servavit illibatam,
Eius quoque Matri probatam fecit,
Dum quam servandi, & propugnandi Mariani honoris
in Congregationibus eiusdem obligationem suscepit,
Zelosus eiusdem honoris propugnandi, ac promovendi Tyro servavit
Omnem vestium luxum, damnans, & splendorem,
Ad Arenensem, in suburtano Cracoviæ, Virginis Aram
Votum nunquam assumendi pretiosiorem habitum
& splendidorem, quod nuncupavit,
Pullo vsque ad mortem semper vsus,
Fideliter asservit,
Virgineam in hoc humilitatem imitatus,
Et omnem in sumptuosis ornamentis declinans jactantiam.
Intuere Mome Speculum,
Quod GRYPHUS OTWINOVIUS obijcit.
Fulget in illo claritas, quæ Virtutis amabilitate
alios ad imitationem provocat,
Te invidia, & livore cœcutientem retundit
Speculum ad latus GRYPHI,
Omnium Mulierum Speculum
Et Fidelitatis
In DEUM, & Coniungem, Exemplar,
Magnifica Domina
ELISABETHA OTWINOWSKA,
Gapitanea Sczerczoviensis,
Quæ collectos in se Illustrissimæ Domûs Virtutum splendores,
Ad magis illustrandam OTWINOVIAM
Domum intulit.
Hic Illustrissimi, ac Magnifici Domini
STEPHANI SIEMIENSKI Iudicis Siradiensis
Erga DEUM, Ecclesiam, Serenissimos Reges,
& Patriam Fidelitas illibata splendet,
In cujus fulgore Momus maculam non inuenit,
Quam imputet.
In annullo Fidelitatis tessera,
Invicem servata fides monstratur,
Quam cœlum solet coronare.

SYM-

SYMBOLVM X.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ

PROVIDENTIÆ.

GRYPHUS *circumquaque oculis plenus in monte aureo prædis nocte illuni incubans: ad montis clivum draco rapiendis intentus &c. Magnifici Domini Capitanei Providentiæ imago. &c.*

Lemma:

Congerimus, & parta tuemur!

INDUSTRIÆ.

Securus de bene partis,
Non time hydram insidiantem
GRYPHE.
Lætatur illa, dum raptis distendi quem videt,
Non tam male partis intenta,
Lucrum suum putat perniciem possessoris.
Quàm apertam vides mali spiritus imaginem,
Avarus ille semper fame torquetur,
Quam proritaverit invidia,
Meritorum tuorum iacturâ satiari cupiens
pervigil ad rapinas,
Et teipsum, non tua quærens,
Prodit iuratam hostilitatem, dum blanditur.
Magis oculatum te ad tui custodiam esse oportuit,
Quàm centoculum Argum ad unam juveneam.
Hinc bene habet,
Qui undique totus ad vigilandum oculatus,
Studet securitati congregâtorum providere,
Cum & hæc sit magna felicitas, & Sapientia,
Nosse parta tueri.
Solertissime GRYPHE
Industriam adumbras
Magnifici ac Generosi Domini
IOANNIS ALEXANDRI de Otwinow OTWINOWSKI
Quâ
Bonorum meritorum congregationi, & conservationi providit,
In fortunæ temporalibus bonis perituris se pauperem existimans,
Nisi mansura semper comparasset.
Doctus illa nec vera, nec propria bona esse, dicique posse,
Quæ tempus, & fortuna rapere potuisset.
Natum se æternitati, cœloque cùm meminit,
Illudque aut pretio comparandum, aut precibus

F Oranio-

Orationum ſuarum, quas frequentiores, & ardentiores
ſibi præſcripſerat, non contentus:
Ut Religioſorum, Sacerdotum, pauperumque gauderet ſuffragijs
Eleemoſynas erogavit;
Ut fortunam ſuæ ſtipendiariam ſalutis faceret,
Non pateretur ut Dominam.
Noverat Superos auro poſſe corrumpi,
Et obſequijs in favorem inclinari:
Quocirca
Ut humanam exutos conditionem erga ſe faceret humaniſſimos,
Præter impenſas fortunæ ad eorum cultum, & honorem,
Mortificationibus, Ieiunijs, Peregrinationibus,
Favores illorum promereri contendit,
Suæ ſalutis nunquam oblitus, ſemper providus futurorum,
Eiuſdem adiumenta cumulavit,
Cùm Sacrarum Confraternitatum
ROSARII, SCAPULARIS, ANGELI CUSTODIS,
Albo inſcriptus, factus eſt particeps meritorum.
Religioſorum ſicut ſemper Amicus, & Patronus,
Ità fieri & Frater concupivit,
Dum Confraternitatum Seraphicæ, & Noſtræ Eremiticæ
Privilegia cum proventu meritorum impetravit:
Dignus qui exinde haberet ſuffragia,
Qui ſublevationi Religionum neceſſitatis ſtipendia numeravit,
Non defuit chariſſimo Magnifico Coniugio ſuo
Magnifica, ac Generoſa Domina
ELISABETHA OTWINOWSKA
Quæ commodis eius ſemper prodeſſe ſatagebat.
Cùm veluti maiorum virtutis incrementorum hortatricem habuiſſet,
Expertus eſt & ſuæ ſalutis Adiutricem ſolicitam,
Quæ mox, viam æternitatis ingreſſum,
Miſſis per varia Monaſteria, & Eccleſias liberalibus impenſis,
Suffragijs comitata eſt;
Quo teſtaretur ſibi non totum chariſſimum Coniugem abijſſe,
Cuius fideliter ſervatus amor permanſiſſet.
Et Germani Fratres
Magnifici ac Generoſi Domini,
GASPAR, & GREGORIUS, OTWINOVII,
Quem ſui amantiſſimum in vita experti ſunt,
Et poſt mortem ſibi chariſſimum oſtendunt,
Chriſtianæ Religionis adiumẽtis, & proventibus abeuntem proſequendo.
Optimè rebus Tuis providiſti,
Qui tantum amorem apud Magnificam Coniugem,
Amantiſſimos Fratres, Amicos, & Subditos meruiſti,
Amicitiæ comparandæ induſtrias edocens,
Qui & poſt fata non deſerens,
Ad æternitatem comitatur.

SYM-

SYMBOLVM XI.

INCLYTISSIMÆ DOMUS OTWINOVIÆ REGENERATIONI.

GRYPHUS *ad crepidinem cisternæ anterioribus pedibus innixus; & aqua se totum perluens, alisq; concutiens, pennas veteres, villosque deponit. &c. Magnifici Domini IOANNIS ALEXANDRI OTWINOWSKI renovationem exhibet. &c.*

Lemma.

Lustramur in undis!

LUSTRATIO.

Illabere Fonti
Vetustatem in venustatem renovaturus,
GRYPHE.
Hic tibi virtutem & vigorem juventutis restituet,
Cum te ad decorem & pulchritudinem lustraverit.
Excute pulverem terra si quem adspersit;
Ne quid in te sibi debitum terra vendicet,
Cuius declinaturus commercia,
Exue veteres plumas, & villos depone
Ne ad liberiorem conditionem eluctatus,
In obvia captivantium retinacula offendas.
Oblivionis hunc esse Fontem noveris;
Ex quo bibens pristinæ conditionis oblitus,
In novam vitam renasceris,
Nemo tibi feritatem, vel inhumanitatem imputaverit,
Quem hæc unda abluet
Thermas invenisti;
Novam regenerant ad vitam,
Vitæ felicioris candidatum.
Perillustris ac Magnifici Domiui
IOANNIS ALEXANDRI OTWINOWSKI
Illustrem imaginem proponit
Gentilis GRYPHUS.
Salutarem ille Fontem, qui & sitim extingueret,
& e pulvere terrenorum mundaret,
In meritis Salvatoris invenit,
Expertus iuventutem spiritûs in illo renovari,
Et æternorum desiderium, oblivione mundanorum accendi:
Hinc frequentiori Sacramentorum usui addictum
Temporalium neglectus & fastidia,
Divina sapere docuerunt.
Quo factum

 Ut ad

Ut ad Iubilæi magni ſolennitatem Cracoviam profectus,
Ad apertas illas gratiarum cataractas ſuam ſanctam ſitim deſide-
riorum expleret, & ſpiritum renovaret,
Auſterioribus pœnitentialibus inſtrumentis concuti,
ac diverberari, non abnuit,
Quando
Confraternitatis Angelicæ candidum ſagum indutus,
Et acriori flagello manum armatus,
Stationum obibat Eccleſias,
In quibus cruentatus,
Salvatori ſuo ſanguinem rependebat pro ſanguine
Sic concuti fuit ad juventutem plumis, ac villis depoſitis, renovari
Nactus hic eſt fontem Regenerationis
Et quod de fonte LACUGA veterum produnt hiſtoriæ,
Ex quo bibentes ſenectutem exuere, & repueraſcere feruntur,
Verum expertus eſt.
Et alias ſalutis ſuæ Thermas quæſivit,
FONTEM GRATIARUM MARIAM,
Ad hauriendas illius plenitudinis undas frequentius accedens,
ſpiritus quæſivit refrigeria, & ſolatia,
Atque ne ingratus ſuo Fonti videretur,
Secutus monitum illud veterum:
Quisquis hauris aquam, Fontem corona,
Quotidianæ devotionis penſo Fontem gratiæ, & ſolatiorum ſuorum
MARIAM coronavit.
Facta eſt ei MARIA dulcedinis Mare, placidum,
Quo amarorem vitæ præſentis temperaret.
Hac veluti Speculo cenſore uſus,
Ad virtutum eius exemplum ſe componebat,
Cuius exoptabat fieri & particeps meritorum.
Tam ſalutaribus undis frequentius luſtrari ſolitus
Ad æternam migraturus vitam, accuratiùs animum intendit,
Ut purgatior ſuo ſiſteretur Creatori,
Quo addidit & ſuum maritale obſequium,
Magnifica Domina
ELIZABETHA OTWINOWSKA,
Quæ ad luſtrationem eius, vel piacularibus flammis
conſummandam facere crudebantur,
impendens liberaliter,
Et uberes lacrymas ſinceri amoris teſtes non negavit,
Quibus purgantium flammarum ſopiret incendia,
Et iuſtitiæ divinæ rigorem ad clementiam inclinaret.
Non conducens Pollinctores, & Præficas,
Quòd abunde funus amantiſſimi Coniugis lacrymis abluiſſet.
Parce lacrymis, & doloribus Heroina;
Hic, deliciæ Tuæ GRYPHUS,
Lacrymas minùs æſtimat,
Qui fontem Vitæ æternæ Deum ſitit,
Quem precare.

SYM-

SYMBOLVM XII.

INCLYTISSIMÆ OTWINOVIÆ DOMUS
IMMORTALITATI.

GRYPHUS, *à montis clivo ſurſum feſtinans, ad cœli, ſummitati montis quaſi incubantis, comprehenſionem contendit &c. Magnifici Domini* IOANNIS ALEXANDRI OTWINOWSKI, *ad cœlum iter demonſtrat. &c.*

Lemma:

Et volat, & currit!

CORONA.

GRYPHE MAGNANIME
Dudum prævidiſti curſus bravium
Ad quod & pedum, & alarum velocitas te promovent.
Non aliud eſt quâm Cœlum,
Quod ſui comprehenſores coronat.
Cognata cœlorum monſtra
Aquilæ, & Leones,
Ipſeque anni Signifer
Tuam ambit ſocietatem,
Ex qua ornamentum habeat, & complementum
Tantùm te diligit cœlum, quod Tui deſiderio tenetur,
Tuaque nihili æſtimans, te ſolum poſcit inquilinum
Si Regibus, Principibus, Proceribus,
In Sole, Luna, Planetiſque habitationum
Spatia metatur aſſentatio veterum,
Tibi ſuper omnia, locum pollicetur Iuſtitia,
Quæ Te evocat ad Coronam.
Eò Te promovent ampliſſima GRYPHORUM
Familiarum merita, & humeris
ſuccollatoribus ſubvehunt;
Quid Te moretur aut montium aureorum ſterilis amor,
Nutrire affectum ſolitus, non explere,
Aliena cuſtodiens, Tua non deſerens
Quæ cœlum oſtentat.
Depoſita mortali corporis ſarcina, immortalitatis dotem indue
Æterno felicitatis natus regno,
Quid temporalem adamas miſeriæ ſervitutem?
Hic dies Te cœlo reſtituet, quo terram reliquiſti.
Ne Tibi vilueris,
Quem tanti cœlum æſtimat,
Et nexibus corporis expediens
Æternam evocat ad libertatem,

In Perilluſtri ac Magnifico Domino
IOANNE ALEXANDRO OTWINOWSKI
CAPITANEO SCZERCZOVIENSI
Cui Mors quamvis lapidem ſepulchralem,
Vitæ fecerit Terminalem,
Intermedium iecit, per quod expeditius
corporis vinculis ſolutus tenderit ad Coronam,
Quam illi Chriſtianæ Religionis cultus, & obſervantia,
Intaminatæ Fidei zelus, & cuſtodia,
Æquitatis, recti, honeſtique ſtudium
Erga DEUM, Divoſque Pietas, & Devotio.
Iuſtum meritorum præmium deſtinavit
Totis deſiderijs immortalitatem beatam complexus dum viveret,
Et vivis excedens in ſinum illius translatus,
Non æſtimat temporalis vitæ gloriæ, fortunæque iacturam,
Quæ Corona æternæ vitæ, immortalis boni inæſtimabili pretio,
& felicitatis conſummatæ plenitudine compenſatur.
Quia ſolos reges coronatos cœlum ſuſcipit,
Aut coronat æternùm, regnaturos,
Nominem niſi Coronas ambientem amat, & expetit
Ne in regno Libertatis æternæ,
Amor & conditio inveniatur ſervitutis:
Hæc Tua fuit ambitio laudata cœlo,
Perilluſtris ac Magnifice Domine,
IOANNES ALEXANDER OTWINOWSKI
Quam teſtebantur cœlum ſuſpicientis affectus, lacrymæ, & ſuſpiria,
Tuorum deſideriorum prodromi ad Coronam;
Bonum certamen certaſti, in huius vitæ militia ſuper terram
Curſum conſummaſti in Virtutum, ſtadio;
Fidem ſervaſti in Divinæ, humanæque Legis obſervantia
Ideo repoſita eſt Tibi
CORONA IUSTITIÆ
Quam Tibi omnes imprecantur, exoptant, gratulantur;
Cumprimis Magnifica ac Generoſa Domina
ELISABETHA OTWINOWSKA
Lectiſſima Tua, Fideliſſima, & amantiſſima Coniux
Cum chariſſimis Filijs Tuis relictis;
FRANCISCO, & STEPHANO,
Ceteriſque, pignoribus;
Hanc Tibi deſiderant,
Unice dilecto Fratri ſuo,
Tibi olim Dilectiſſimi Germani Fratres
Magnifici ac Generoſi Domini
GASPAR & GREGORIUS OTWINOWII,
Tibi ſicut in vita, affectu, amoreque coniunctiſſimi,
Ita & poſt mortem Tuis Manibus faventiſſimi,
Quos ut æternitas beata inter hoſpites & municipes cœli
ſuſcipiat, votis proſequuntur.

Hanc

Hanc Tibi precantur omnes,
ILLUSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI, REVEVENDISSIMI,
PERILLUSTRES, MAGNIFICI, GENEROSI, ADMODUM REVERENDI, REVERENDI, DOMINI,
Cognati, Amici, Familiares, Subditi,
Quotquot parentalibus Tuis ſupremis aſſiſtunt honoribus
Qui Tibi, quem debebant vivo,
Impendunt & mortuo,
H O N O R E M, & A M O R E M,
Officium, & Obſequium;
Votum, & ſuffragium,
Honorem pro Reverentia, Amorem pro Amore, officium pro beneficijs, obſequium pro gratia,
Votum pro merito, Suffragium pro Iuſtitia Chriſtiana,
Tibi in Regno Pacis æternæ,
R E Q V I E M Æ T E R N A M
apprecantes,
Te, quem præeuntem, ad funeralem vrnam comitantur,
C R A S, vel H O D I E,
ſecuturi,

P A R E R G O N.

Hæc XII. Symbola, debito honori Magnifici Domini Capitanei, tum totius Domûs OTWINOVIÆ ſerviendo poſui, in triangularibus Pyramidibus, quæ in angulis Cenotaphij eminebant, ſupra in vertice, ſeu ſummitate flammis ardentibus. Alia ad honorem funeralem pertinentia fuerunt appoſita.

In quadrangularis Cenotaphij, quod ad duos tantum cubitos aſſurgabat, fronte, Mors incendiaria ponitur, dextræ manus face, poſita à dextris Eccleſiaſticarum dignitatum inſtrumenta, Pontificales mitras, & infulas, purpuras, & galeros Cardinalium, Cruces, & Peda &c. ſuccendebat; ſiniſtra pariter armata face manu ſecularis dignitatis inſignia, Coronas, ſceptra, Ducales mitras, dignitatum inſignia, & Familiarium Stemmata combutendo, quæ omnia grandi incendio in favillam ridigebantur &c. Inſcriptio ſuperior:

A B S U M I T O M N I A

Infra ſubſcriptio:

TANTO QUID DURAT IN IGNE.

A dextro Cenotaphij latere, Mors flores, & henbas falce demotens &c. Inſcripto ſuperior:

DEVASTAT OMNIA.

Inferior

TOTUM METIT INVIDA FLOREM

A ſiniſtro later, Mors ligone verſat capita mitris Portificalibus, coronis Regum, mitris Ducum, galeis, variarumque nationum pileis ornata, verſat, miſcetque omnia, in unum cumulum coniecta. Inſcriptio ſuperior:

CONFUNDIT OMNIA!

Inferior:

MISCET QUADRATA ROTUNDIS!

In poſteriori Cenotaphij parte, Mors regio diademate inſignita, ſceptro nuda mortuorum capita componit, & coæquat &c. Inſcriptio ſuperior:

COÆQUAT OMNIA!

Inferior:

MAIORA MINORIBUS ÆQUAT

In Primo angulo, Cenotaphij, & baſi quæ ſubiacet pyramidi.

Una parte Mors in habitu peregrini iter proſequens. *Inſcriptio:* PEREGRINAMUR! In theca qua literæ teſtimoniales recondi ſolent. TESTIMONIUM BONÆ CONSCIENTIÆ!

Altera parte, Mors ad grabatum ſe compones invadente ſerpentum, bufonumque multitudine &c. Inſcriptio: DORMIEMUS! Proloquitur: STERNETUR TINEA, ET OPERIMENTUM ERUNT VERMES!

In ſecundo Angulo.

Una parte Mors ſarcinam baiulans proficiſcitur &c. *Inſcriptio:* VENIEMUS! In ſarcina ſuperſcriptio: PROVIDENTES BONA CORAM DEO ET HOMINIBUS! PROVISIO BONORUM OPERUM.

Altera parte Mors cataphracta galeam caput induta, ſiniſtra Clypeum, dextra gladium tenens &c. *Inſcriptio:* MILITAMUS! Subſcriptio. ARMA IUSTITIÆ ADEXTRIS ET A SINISTRIS! à longe draco imminet &c.

In tertio Angulo.

Una parte Mors e grabato ſurgens e vermium medio. Inſcriptio SUSCITABIMUR! Deſuper Tuba e qua vox procedit SURGITE MORTUI! Mors ſurgens reſpondet: OMNES RESURGIMUS!

Altera parte Mors ad Menſam ſedens, ex Regeſtrorum rationes examinans &c. *Inſcriptio* RATIONEM REDDEMUS! Tres ante illam libri poſiti. In fronte Primi: *Rationes Cordis!* In Secundi: *Rationes Oris!* In Tertij: *Rationes Operis!* Mors proloquitur NON RESPONDEBO UNUM PRO MILLE! Una

In quarto Angulo.

Una parte Mors manus pedesque ligata ſedens, & judicium expectans. &c. *Inſcriptio:* IUDICABIMUR! Ex ore Mortis. DICAM DEO: NOLI CONDEMNARE!

Altera parte Mors expanſis manibus, circa quam abiecta vincula pœnalia &c. *Inſcriptio:* LIBERABIMUR! ex ore liberatæ: VIDEBO DEUM SALVATOREM MEUM.

In Cenotaphij pegmate duo gradus, in quibus funeralem tumbam ſuſtentant ſex cranina, ſeu mortuorum capita: Ad tumbæ caput lamina, quæ *Magnifici Domini Capitanei* præfert genuinum apographum Ad pedem laminæ inaratum Epitaphium ex Inſcriptionibus collectum.

Deſuper impendet duplex corona Tumbam ambiens, & phialis. in quibus ardens flamma, totam machinam illuſtrat. Summitatem, ſeu apicem Coronæ occupat grandior GRYPHUS, qui Genium Domus OTWINOVIÆ portat; huic ſubiectum:

NIL TERRENA MOROR, CUM SUPER ASTRA FEROR!




BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLONICAE